



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**L. Coelii Lactantii Firmiani, diuinarum institutionum,  
aduersus gentes, de falsa religione liber primus**

**Lactantius, Lucius Caecilius Firmianus**

**[Köln], [1518]**

**VD16 ZV 9338**

Quod deus sine corpore sit, nec sexu ad procrea[n]dum egeat. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71332)



aliunde pendemus. Itaq; ad aliquē perspicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus, Alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit.

Quod deus sine corpore sit, nec sexu ad procreandum  
egeat. Cap. VIII.



Is igitur tot & tantis testibus comprobatur, unius dei potestate, ac providentia mundū gubernari, cuius uim, maiestatemq; tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neq; mente concipere, neq; uerbis enarrare quisq; possit ob nimiam eius, & inestimabilem potestatem. Dubitet ergo aliquis, an quicquam difficile, aut impossibile sit Deo, qui tanta tamq; mirifica opera providentia excogitauit, uirtute constituit, ratione perfecit, nunc autē spiritu sustentet, potestate moderetur, incogitabilis, ineffabilis, & nulli alij satis notus q̄ sibi. Vnde mihi de tanta potestate sapius cogitanti, qui Deos colunt, interdum uideri solent tam caeci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multū a multis animalibus differentes, qui credant eos, qui geniti sūt maris, ac foeminae coitu, aliquid maiestatis, diuinæq; uirtutis habere potuisse, cum Sibylla Erythraea dicat,

ὅτι δὴνα ἴ ἀνδρῶν

ἐκ μητρὸν μήτρας τὸ θεὸς τετυπαμένον ἔϊναι. i. Non potest ex uirtu femine & matrice Deus formatus esse. Quod si

est uerū, sicuti est, apparet Hercule, Apollinē, Liberū, Mercuriū, Iouēq; ipsum cū cæteris hoies fuisse, qñ sunt ex duobus sexibus nati. Quid ē autē tam remotū a deo, q̄ id opus, qd ipse ad ppagandā sobolē mortalibus tribuit.

C iiij.



## DE FALSA RELI.

& quod sine substantia corporali nullum potest esse. Dii ergo si sunt immortales, & aeterni, quod opus est altero sexu: nimirum ut generentur, ipsa progonie quae id opus est, cum successione non egeant, qui futuri sunt semper? Nam profecto in hominibus, ceterisque animantibus diuersitas sexus & coitio, & generatio nullam habet aliam rationem, nisi ut omnia genera uiuentium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione seruari. Deo autem, qui est sempiternus, neque alter sexus, neque successio necessaria est. Dicit aliquis, ut habeat, uel ministros, uel in quos ipse possit dominari. Quid igitur opus est sexu foemineo, cum Deus, qui est omnipotens, ut uocatur, sine usu, & opera foeminae possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id praestitit, ut sibi e folijs natos e suauibus herbis ore legant, cur existit aliquis ipsum Deum nisi ex permistione sexus alterius non posse generare? Illos igitur, quos imperiti & insipientes tanquam deos & nuncupant, & adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti sunt? Nimirum quia reges maximi, ac potentissimi fuerunt, ob merita suarum uirtutum, aut munerum, aut artium repertarum, cum chari fuissent ijs: quibus imperitauerant, in memoriam sunt consecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas, & facta consideret, quae uniuersa tam poetae quam historici ueteres prodiderunt.

¶ De Hercule, & gestis eius, atque ortu eius ex Ioue, & Alcmena, & morte eius. Cap. IX.